

Fortmüller wil Voglers sach gern berüben laßen³⁾; wil aber khainswegs sich bewegen laßen zü bekennen, das er im worten oder werkhen halber unrecht thün habe. Mag erfß nit leyden, wil er im zü dem rechten ston. Ferners hab ich bey im nit erholen mögen.

Collegas tuas meis verbis salutabis com(m)endabisque me DD. consulibus, quos prospere valere summopere cupio. Vale. Sangalli, XX. die Iulii, anno MDXLVIII.

Ioachimus Vadianus.

Longe optimo et doctissimo D. Henrycho Bullingero, ecclesie Tigurinae episcopo, domino suo colendo.

a) „æd.“. — b) „exp.“. — c) „ciaci“. — d) „syl.“. — e) „brach.“.

¹⁾ Vgl. I, Register, unter «Vadianus». — ²⁾ Wäre unter der «silva» etwa die innere Schweiz zu verstehen, die dem Kaiser keine Söldner liefern möge? — ³⁾ Vgl. dazu oben, Brief 1605.

B 74.

1620.

Wolfgang Musculus¹⁾ an Vadian.

Bischofzell. 1548. August 8.

Bericht über seinen Weggang von Augsburg nach Basel. Kriegerische Wirren in Constanz. Seine Flucht nach Bischofzell. Anfrage wegen einer Stellung in St. Gallen.

Gratiam ac pacem per Christum Iesum, servatorem nostrum. Quod Humanitati tuę scribo, virorum ornatissime, partim facit præsentium temporum calamitas, qua iam plerique boni viri premuntur, partim de prædicata passim humanitas tua ac benevolentia, qua illos complecteris, qui propter evangelium Christi adfictantur, e quorum numero me quoque dominus, licet indignum, esse voluit. Illi sit gloria et gratiarum actio in sæculum. Amen. Ut autem scias, quomodo habeat exsilium^{a)} meum, paucis historiam illius perstringam.

Postquam Augustani, quorum ecclesiam in evangelio Christi annos fere 18 ministravi, μεταξότῆρ^{b)}, illam religionis mutationem, collecto maiore senatu, non iudicio sed metu adacti, acceptarunt, quoniam in illam religionis impurationem consentire nec potui nec debui, dimissionem petii ac discessi. Veni Tigurum, deinde Basileam ad Hervagium typographum, veterem amicum. Apud hunc hæsi aliquandiu. Interea evocavi uxorem ac liberos, quos novem habeo, Constantiam iussique illic exspectare^{c)} adventum meum.

Illi relicta Augusta venerunt Constantiam, quo et ipse, ut eos inviserem, 30. Iulii veni. In itinere transivi Tigurum denuo, ubi me fratres istic^{d)}, viri doctissimi, humanissime rursus, sicut et antea, acceperunt

pollicitique sunt, curaturos se, ut vel apud ipsos vel alibi commode consistere possem. Ut itaque Constantiam veni, mansi illic usque ad 6. Augusti, diem illum miserabilem et lugubrem, quo miles Hispanus, mane circiter quintam, urbem oppugnare cœpit^{e)}. Usus consilio D. Ambrosii Blaureri, ut meis prospicerem, una cum illis urbem egressus ac multitudinem mulierum, puerorum, senum et peregrinorum, quibus una et altera porta patebat, viarum ignarus secutus^{f)} sum. Cum aliquousque progressi essemus, tandem ad me reversus cœpi^{g)} interrogare, quorsumnam tenderet iter, quod ingressi eramus? Respondebatur: S. Gallum versus. Audito hoc intellexi, non sine consilio dei factum esse, quod, licet per imprudentiam, id itineris cum familia mea ingressus essem. Nam ante octiduum, cum Vitodurum transirem, reperi in pandocheo legatos vestros, Badensem conventum petentes, qui me pro sua humanitate, ut aliquando ecclesiam vestram inviserem, invitabant. Veni itaque in hunc locum non sine grandi molestia, ubi tamen commoditas nulla videtur esse diutius manendi. Quapropter ad te, virorum humanissime, confugio, obsecrans per Christum, ut consilio tuo nolis deesse homini in exsilio^{a)} constituto et adficto. Oro, rescribas, an istic^{d)} mihi ac meis locus aliquis esse possit, ut apud vos in hisce rerum motibus aliquandiu meis sumptibus sine ullius molestia consistam. Nemini gravis ero, et forsitan divino munere dabitur, ut ecclesie vestre aliquousque prosim; id quod cum primis in votis habeo. Dominus vos istic^{d)} conservet faciatque, ut quietum profugis et exsilibus^{b)} asylum esse possitis.

Optime vale, virorum ornatissime. Data Bischofzell, 8. Augusti 1548.

Wolfgangus Musculus, Humanitati tuę deditissimus.

Clarissimo viro D. Ioachimo Vadiano, consuli Sangallensi, domino et amico in Christo domino observando.

a) „exil.“. — b) Irrig statt „μεταξότῆρ“, für das lateinische „interim“. — c) „exp.“. — d) „isth.“. — e) „cœp.“. — f) „sequutus“. — g) „cœpi“. — h) „exul.“.

¹⁾ Vgl. oben, Brief 1476.

1621.

Vadian¹⁾ an Heinrich Bullinger.

St. Gallen. 1548. August 8.

Die Haltung der Kaiserlichen und des Kaisers. Die Bedrängnis von Constanz. Der Streit mit dem Abt wegen der städtischen Abgaben.

S. Mitto ad te bona fide scriptarum literarum exemplum, quo intelliges, quibus modis et veteribus privilegiis principum exspoliari^{a)}